Nobilissime Domine

Scriptum doctissimum Diodori Tuldeni de jurisprudentia
extemporali, ab auctore τῷ μακαρίτῃ Bossio destinatum,
et tuo beneficio atque munere in me translatum, ac-
cepi lubens: eoque nomine ingentes tibi debeo atque habeo
gratias: tum verò maximè, quod illud munus, tui erga
me amoris indicem et τεκμήριον esse voluisti. Quod
hujus scriptionis a politissimo juris cto ante hac editum
fuit vidi, sed ex παρόδῳ tantum; perplacuit tamen
ut et cetera omnia ab eo scripta, imprimis ob genium
qui in iis eminet singularem. Carptim quaedam quan-
tum per otium licuit, his diebus quibus operae forenses
maximè fervent lustravi magis quam legi: Deus
bone quam omnia sunt mei stomachi! accuratiori
lectioni nefastos qui instant dies destinavi, certò
sciens me operae pretium facturum. Utinam hujus
eximii viri exemplo multi qui hodie sanctissimam juris
scientiam profitentur, deferrent nugarias et citra bar-
bariem qua tersissimus veterum prudentum sermo a
multis foedè nimis conspurcatur, id consectarentur quod in
quotidianis rerum obtinet argumentis. Testor ex
animi sententia, adeo me afficere hujus viri ingenium
ut jam pridem constituerim illi imbuere eos, quos
natura et pietas meae curae commendavit, qua in re
nullus dubito, sed optatum mihi successum spondere, si
te instituti mei habiturus sim suffragatorem.
Vale vir omni virtute et eruditione cultissime,
et amoris tui erga me ἀντάλλαγμα habe, eum qui
id unicè ambit, ut ex asse sit

Hagae pridie Kal.
Sextil. CIↃDCXLIII.

Tuus

G. de Crommon

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.
'S RYKS ARCHIEF

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3339

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3339

136

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3339

Nobiliſsimo, Ampliſsimoque Domino
Conſtantino Huygens Equiti
Domino de Zulichem, Principi
Auriaco a conſilijs et ſecretis

Asſcredam -

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3339